

XIX. Præterito ſeculo initium habuit Ordo *charitatis* à Joanne de Deo natione Luſitano ad officia charitati erga pauperes, præſertim infirmos inſtitutus, & à Pio V. primum confirmatus Conſtitutione quæ incipit, *licet ex debito* 143. in Bull. Rom. in qua permittitur Fratribus dicti Ordinis ſpecialiſſimum habitum, *dummodo ſub Regula S. Auguſtini vivant.*

Permittit Pontifex, ut unum Sacerdotem habeant in ſingulis hoſpitalibus, qui & Fratribus & infirmis Sacramenta adminiſtrent: & tam ipſum Sacerdotem, quam Majorem nuncupatum & alios Confratres " ſub loci Ordinarium jurisdictione, correctione, viſitatione; & obediencia, etiam perpetuò ſubjicit & ſupponit, ipſumque Majorem, & alios confratres de eleemoſynatum hujusmodi adminiſtratione ſingulis annis, in tempore eidem Ordinario bene viſo, legalem computum eidem Ordinario loci tantum, & nulli alteri reddere debeant.

XX. Scribit quoque Cardinalis Jacobus de Vitriaco in *Historia Occidentis cap. 29.* " Sunt in ſuper aliam, tam virorum, quam mulierum ſeculo renunciantium, & regulariter in domibus leproſorum, vel hoſpitalibus pauperum viventium aſſimilatione & numero certo in omnibus occidentis Regionibus congregati, neſ, pauperibus & infirmis humiliter & devotè miniſtrantes. Vivunt autem ſecundum S. Auguſtini Regulam, abſque proprio & in communi, ſed unius Majoris obediencia, & habitu regulari ſuſcepto perpetuam, Domino promittunt continentiam. Horas Canonicas quantum hoſpitalitatis ſtudium & pauperum Chriſti miniſterium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt.

XXI. Quod de partibus Occidentis generaliter aſſerit hic auctor, veriffimum eſt de Belgio aliſque vicinis Provinciis, in quibus ſeculo 12. & ſequentibus ſeculis, plurimæ tum domus leproſarum, tum hoſpitales, præſertim pro infirmis erectæ fuerunt; idque cum certo numero Fratrum & Sororum qui infirmis & leproſis ſervirent & miniſtrarent; & vitam communem & religioſam agerent.

Seculo præterito adhuc in Gallia fuiſſe Fratres & Sorores, ſed valde corruptos, teſtatur Concil. Rothom. *Tit. De Episc. n. 31.*

XXII. Sed cum expertentia doceret, periculofum eſſe Fratrum & Sororum ſub eodem tecto contubernium, paſſim in omibus domibus illis leproſariis & hoſpitalibus retentæ fuerunt ſolæ Sorores; quæ præ Fratribus miniſtrandis infirmis, & rei domeſticæ agenda convenienciores credebantur.

XXIII. Hæ verò Sorores hodie ubique penè ſub trimum votorum religionis profeſſione ſecundum regulam Sancti Auguſtini vitam Religioſam agunt, cum ſpeciali obligatione; imò in nonnullis cum ſpeciali voto infirmis inferiendi; atque illæ quæ in Noſocomiis inferiunt ægris vocari ſolent, *Sanctimoniales Hoſpitalarum*: Quæ verò in Leproſariis, quia vix lepra infectæ divertere hodie ſolent, vix ab aliis Sanctimonialibus diſtinguuntur; & domus illæ hodie hic in Belgio pro Monafteriis Monialium ſimpliciter reputantur.

XXIV. Hiſitaque Sanctimonialibus in Noſocomiis & Leproſariis cura infirmorum committitur: & hoſpitalium directio ipſis conceditur, cum tamen obligatione reddendi computum iis qui vel ſecundum leges fundationis, aut ſecundum conſuetudines locorum, vel juſt communc locis piis, & religioſis ſuperintendant.

XXV. Hæ enim ſorores dumtaxat hoſpitalibus ſunt deputatæ, ut curam habeant infirmorum, & tamquam miniſtra in iis infirmis miniſtrent; ut ex earum fundationibus manifeſtum eſt.

Unde Concilium Arelatenſe anno 1260. *Cap. 13. vi-*

dens, quod tam Clerici, quam laici multiplice prece, & pretio, aliquando etiam per litteras Papales & mandata Principum hoſpitalia conſueverunt occupare; nec ibi pauperibus aliquid miniſtraretur, ſed omnia bona & eleemoſynæ talium hoſpitalium per Rectores in uſus proprios devorarentur, "ordinavit & ſtatuit, ut in juſſu) re cavetur, ut de cætero per Prælatos locorum, & alios ad quos id pertinere noſcitur, propriè congruè & ad id competenter perquirantur, qui habitu & ſigno aliquo religionis aſſumpto, ibidem Domino famulantes, vitam agant communem, & annis ſingulis, ipſis inſtitutoribus ſuis, vel deputatis ab eis, rationem de omnibus reddant, nihil ſibi aut ſuis, præter victum & veſtitum, de omnibus eleemoſynis hujusmodi hoſpitalium retinentes.

XXVI. Scribit Joannes Torneſius in ſua collectione arteſtorum *lit. H. cap. 35.* quod licet hoſpitalia ex primæva fundatione poſſeſſa non in titulum, ſed ſub forma ſimplicis adminiſtrationis, longo tempore Religioſi reſerint quoad temporalia, nihilominus Curia ipſis ademerit regimen *temporalium*, dumtaxat reliquæ curâ ſpiritualium, & intendentiâ pauperum. Verba ejus ſunt. *Les Hoſpitaux tenus de leur premiere fondation non en titre de Benefice, mais en forme de ſimple & nue adminiſtration, ſont d'une qualite toute diverſe & differente. Car combien que par la ſucceſſion & continuation de temps, les Religieux ayent des le commencement gouverné & adminiſtré le revenu temporel & annuel d'un Hoſpital, toutes fois la Cour de Parlement eſt à ladite adminiſtration du temporel au Prieur & Religieux leur dyant ſeulement laiſſe la charge ſpirituelle & l'intendance des pauvres.* Id eſt. domus Hoſpitales ex primæva Fundatione poſſeſſæ non in titulum Beneficii; ſed ſub forma ſimplicis & nude adminiſtrationis, alterius omnino & diverſæ ſunt qualitatibus, licet enim ſucceſſu temporis ab initio Religioſi reſerint & adminiſtrarent temporales annuatque redditus domus cujuſdam Hoſpitalis, nihilominus ſuprema Curia dictam temporalium adminiſtrationem Priori & Religioſis ademit, ſolâ illis reliquâ ſpiritualium & curâ Pauperum.

Rationem ſubjicit; *Car ſe ſeroit une choſe hors de raifon de commettre l'adminiſtration & gouvernement des biens profanes, & le manerement des affaires ſeculieres à des Religieux, ſoit en public, ſoit en particulier.* Id eſt. Foret enim à ratione alienum, profanorum bonorum præſecturam & adminiſtrationem privatam aut publicè Religioſis committere. Vide eundem *cap. 34.* ibi plura proferat arreſta quibus Eccleſiaſticis adminiſtratio hoſpitalium quoad temporalia adempta fuit, & ad laicos translata.

XXVII. Cum ergò præcipuum & primarium harum Sanctimonialium inſtitutum ſit infirmis & pauperibus infervere, fatiſ intelligitur, in earum receptione & hoc præ cæteris eſſe attendendum, an eas dotes tum naturales, tum ſupernaturales habeant, quæ huic ſervitio conveniunt; ut nimirum magnâ charitate & pio affectu ac diligentiâ & zelo pauperibus infirmis tamquam Chriſti membris infervant; omneſque moleſtias & incommoda corporalia, quæ ſervitium illud ſequi ſolent, libenti animo ferre poſſint: neque periculum ſit ne dum infirmos præſertim alterius ſexus à foribus & vulneribus aut infirmitatibus corporalibus purgare, & curare ſatagunt, ipſæ in anima fordeſcant, & vulnerentur.

XXVIII. Concilium Viennenſe in *Clementina 2. De Religioſis Domibus*, veteris impoſterum hoſpitalia dati in Beneficium (ut capite primo dictum eſt) vult ut "eorum gubernatio viris providis, & idoneis, & boniſſimis committatur, qui ſciant, velint, & valeant, loca ipſa, bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum proventus & redditus in perſonarum uſum miſerabilium

lium fideliter diſpenſare, & quos in uſus alios bona prædicta convertere præſumptio veriffimilis non exiſtat; in quibus ſub obſtatione divini judicii illorum, ad quos dictorum locorum commiſſio pertinet, conſcientias oneramus.

XXIX. In Gallia cautum Ediſto Bleſenſi *art. 65.* quod leproſariis, & hoſpitalibus præfici nequeant Eccleſiaſtici, aut nobiles ſed tantum communes cives. Verba ediſti ſunt: *Et ne pourront deſormais eſtre eſtablis Commiſſaires au regime & gouvernement des fruits & revenus deſdits Maladeries & Hoſpitaux autres que ſimples bourgeois, marchands, ou labourers, & non perſonnes Eccleſiaſtiques, Gentils-hommes, Archers, Officiers publics, leurs ſerviteurs, ou perſonnes par eux interpoſées.* Id eſt. Nec deinceps ad curam & præſecturam fruſtuum, reddituum dictorum Noſocomiorum & Xenodochiorum committi poterunt alii quam meri Cives, Mercatores, aut agricolæ, Eccleſiaſtici, Nobilitatis Satellitibus, Republicæ Præſectis, ſervis eorum aut perſonis per eos conſtitutis, excluſis.

XXX. Notatur autem in opere quod intulatur *La grande conference des Ordonnances lib. 1. tit. 2. parte 3. §. 2. nota 4.* quod Ediſtum volens elgi duos cives pro adminiſtratione hoſpitalium, non comprehendat hoſpitalia Ordinum Religioſorum, puta SS. Trinitatis, Redemptionis captivorum & S. Antonii, quæ obtinuerunt juridicam declarationem, quod non per perſonas Laicas, ſed Religioſas regerentur præta citatam Clementinam §. *Præmiſſa*, quo expreſſè declarat Concilium Viennenſe, quod diſpoſitionem ſuam, qua vult adminiſtrationem hoſpitalium committi, *viris providis &c.* minime velit extendi ad hoſpitalia *militarium Ordinum aut Religioſorum aliorum.*

XXXI. Similiter reſert judicatum eſſe 29. Julii 1570. neque ſub hoc Ediſto comprehendit hoſpitalia, quæ ex primæva ſua fundatione unita ſunt Monafterio & domui Religioſæ. Uti nec illa quæ vi fundationis conferri conſueverunt in titulum beneficii per Episcopum, tamen etiam ad præſentationem Patroni laici: atque ita non ſemel judicatum eſt notat. Vide latius eadem referentem Renatum Choppinum de *S. Polit. lib. 3. tit. 5. n. 5.*

XXXII. Obſervat ibidem Choppinus, quod "Alia cauſa ſit ejus Valetudinarii, cui Sacellum aliquod, velut appendix, progreſſu temporis adſtructum additumque ſit, puta ad Sacrum litatorium inopibus, ægris, hoſpitibus miniſtrandum, Nam hoc caſu Politica civium manu tractantur utriuſque patrimonio tum Valetudinarii, tum Sacelli. Ita, me dicente, judicavit Senatus de Hoſpitali Leproſorum in *Æde Vindocinensi*, cujus tamen ſacra Capella hucusque Episcopii beneficiaria exiſterat. Arreſto 13. Kalend. Februar. an. 1571. in pomeridiana Curia ſeſſione cauſatum, quæ agitatione forenſi.

Sed ſi hoſpitale non ſit erectum in titulum, neque Monafterio aut Conventui Religioſorum incorporatum; ſed tantummodò aliqui Religioſi ibidem ſint ex voluntate Fundatorum aſſumpti, ut ægri vel leproſi & pauperibus ſerviant; & æconomiz præſint, hoſpitale ejuſmodi quoad temporalium adminiſtrationem non eſſe penes Religioſos; nec de hiſ intelligendum eſſe exceptionem de qua in §. *præmiſſa* citatæ Clementinæ obſervat Choppinus loco citato *num. 6.* atque ita arreſto Pariſienſi anno 1567. profanis æconomis adjudicatam bonorum curationem noſocomii Abignei Biturigum oppiduli; tamen huic noſocomio Arnulphus Bernilus loci indigena adjuſſit cum notabili multorum prædiorum dote novam Monafterii Primatis & Monachorum familiam; ut ſcilicet hæc procurandis Dominis DEI hoſpitibus egeniſque aſſiduè incumbere.

Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

Similiter adjudicata fuit integra adminiſtratio & ſuperintendencia Hoſpitalis Capitulo Collegiatæ *S. Furbii* Perroni, in quibus quoad inſtitutionem & deſtinationem adminiſtratorum, tamen ibidem eſſent *Sanctimoniales* in communi viventes & rei domeſticæ & pauperum curam habentes. Apud Choppinum ibidem *n. 2. in notis.*

XXXIII. Plerique Orphanotrophis, in quibus pupilli parentibus orbi educantur, item Brephotrophis, quæ recipiendis infantibus expoſitis deſtinata ſunt; item Gerontocomiis, in quibus ſenes aluntur, & locis peregrinis & tranſeuntibus hoſpitio recipiendis deſtinatis, & propriè vocantur *Hoſpitalia*; hiſ, inquam, penè ubique laici Adminiſtratores & Rectores hinc in Belgio præſecti ſunt.

Parum reſert, uti ſuprà monimus, qualis ſit cui cura Hoſpitalis committatur, laicus, an Clericus, Religioſus, an ſecularis, modò dotes & qualitates habeat rectè adminiſtrandi Hoſpitalis, & pauperibus providendi, iſque intendendi ſecundum leges fundationis.

XXXIV. De hoſpitalario agens S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. parte 3. tit. *Que ad loca pertinent*, ait: *Primo Hoſpitalarius, iſve cui hoſpitalium cura committitur, vir ſit, cujus fides, pietas, vita innocencia, ſedulitas, charitas gravium virorum teſtimonio commendata ſit.*

Quomodo verò Rectores & Adminiſtratores Hoſpitalium & piorum locorum erga ipſos pauperes ſe habere debeant; & quæ ab iſis præcipuè obſervanda ſint, capite 4. latius exponetur.

XXXV. Porro deſpiciendum eſt ut in iſtis domibus, quæ ad animarum ſalutem pertinent, minime negligantur. Quantò enim animus prætorior eſt corpore, tantò diligentior de illo cura habenda, ait Concilium Burdigalenſe anno 1583. *tit. 28.*

Igitur non tantum præficiendi ſunt hoſpitalibus qui corporum neceſſitatibus, & miſeriis curandis & ſublevandis inferiunt; ſed & Sacerdotes qui pauperibus & infirmis ſpiritualia adminiſtrando eorum miſerias & vulnera ſpiritualia curent.

XXXVI. Et quidem ſi juſt communc ſpectemus, pauperes hoſpitalium debent recipere Sacramenta à Rectore Eccleſiæ parochialis in cujus Parochia ſunt ſita hoſpitalia; uti communiter docent Canonice; ac jam pridem notarunt Petrus de Ubaldis in tractatu De Canonica Episcoporum & parochorum portione; item Lupus De Caſtellona in tractatu hoſpitalitatis *num. 34.* notatque, quod "fundet *Matrix* Eccleſia intentionem ſuam in hoſpitalibus ſuis in ſua Parochia quoad prædicta ſpiritualia "habentur dicti tractatus volumine 11. *Tractatus tractatum.*

XXXVII. Etenim paſſim hoſpitalia ſub regimine laicorum conſtituta manent ſub ſpirituali cura Parochorum & Eccleſiis Parochialibus ſubjecta; tamen interdum etiam oratoria aut Sacella habeant annexa in quibus pro commoditate pauperum ibidem degentium Miſſarum ſolemnia aliaque pia exercitia habeantur.

XXXVIII. At Hoſpitalia Ordinum Religioſorum, quin & Leproſariæ & Noſocomia in quibus Sanctimonialis infirmis curandis vitam religioſam agunt, partim ex privilegio, partim ex Concordatis, partim longâ conſuetudine certos habent Presbyteros, qui Sanctimonialibus & infirmis Sacramenta adminiſtrent, aliaque munia Paſtoralia exercent.

XXXIX. Innocentius III. in Bulla quæ erexit Hoſpitale in *Uibe B. Mariae in Saxia*, voluit, ut in eadem Eccleſia quatuor ſemper ad minus ſint Clerici Regulam ejuſdem Hoſpitalis profeſſi, qui omnia ſpiritualia liberè adminiſtrarent, dein §. 4. ſubjungit: "Iſi autem videntur

Eccc 3

&c

„ & veſtitu contenti, quem eis ſecundum eandem Regulam præcipimus exhiberi, divinis vacent officiis, & intendant Eccleſiaſticiſ Sacramentis, ita quod de aliis Hospitalis negotiis præter conſeſſionem Magiſtri, ſe nullatenus intromittant.

Permittit quoque §. 13. ut pro ſuo & pauperum ac infirmorum uſu habere eis liceat oratorium & cæmeterium.

XL. Nonnulla Hospitalia habere ſpeciales Presbyteros à quibus Sacramenta infirmis miniſtrantur; alia verò Parochialibus Presbyteris ſubſeſſe, aſſerit ſæpius citata Clementina 2. vultque in hac diverſitate ſervandam eſſe conſuetudinem, Verba ſunt, „ Cæterum noſtra intentionis exiſtit, quod ſi qua ſint hospitalia altare, vel altaria & cæmeterium ab antiquo habentia, & Presbyteros celebrantes & Sacramenta Eccleſiaſtica pauperibus miniſtrantes, ſeu ſi Parochiales rectores conſueverint in illis exercere præmiſſa, antiqua conſuetudo ſervetur, quoad exercenda & miniſtranda ſpiritualia ſupradicta.

XLI. Hinc concludunt Canoniſtæ poſt Gloſſam verbo, Parochiales: „ Licet hospitalia & ipſius familia & pauperes ibi degentes ſint de Parochia matricis Eccleſiæ, potuit tamen præſcribere hospitalia, quod proprium Sacerdotem illis ſpiritualia miniſtrantur.

XLII. Concordata nonnumquam ſuper his inter Eccleſias Parochiales & hospitalia ſive noſocomia, præſertim in quibus Sanctimonialia degunt & miniſtrant, & ad formam Monasterii quaſi redacta ſunt, inſerta ſunt; quibus ſtandum erit.

Simile concordatum inſertum fuit anno 1260. ſuper jure ſepulturæ inter Plebanum, Cuſtodem & Canonicos Eccleſiæ S. Petri in Lovanio, & Magiſtram, Fratres & Sorores hospitalis pauperum ibidem, „ quod dictum hospitalia cæmeterium habeat, in quo Fratres, Sorores, infirmi ipſius hospitalis, ac eorum familiares qui ſe & ſua ad dictum hospitalia tranſtulert ſepeliri debebunt. Si verò aliquis alius ibidem ſepulturam elegerit, qui fuerit de Parochia Sancti Petri, ille non admitteatur, niſi ſalvo jure Plebani, Cuſtodis & Eccleſiæ S. Petri prædictæ. Et pro hoc Magiſtra, Fratres & Sorores prædicti, Plebano prædicto in quatuor præcipuis ſolemnitatibus viginti ſolidos, ita quod in qualibet ſolemnitate prædictarum quinque ſolidos, & dicto Cuſtodi ſex ſolidos, ita quod in qualibet eorumdem ſolemnitatum decem & octo denarios Lovaniensès ſolvere tenebuntur.

XLIII. Sanè in magnis Noſocomiis in quibus frequens ſolet eſſe infirmorum numerus, convenit, ut ſpeciales ſint Presbyteri qui infirmis aſſiſtant, eosque ritè inſtruant, & ad Chriſtianè moriendum vel vivendum diſponant.

Qui autem attenderit, quàm crassa ſæpè ignorantia laborent, & quàm multis criminibus frequenter ſint onuſti & implicati pauperes ad Noſocomia divertentes, facile intelliget, quod plures, quàm hodie conſueverint, Sacerdotes Noſocomiis pro cura ſpirituali infirmorum merito præſententur; ne aliàs appareat, revera plus curari corporum, quàm animarum curationem.

Stephanus Epiſcopus Noviomenſis anno 1215. fundans hospitalia, voluit in eo eſſe quinque Fratres laicos converſos & 13. Sorores ad inferiendum infirmis, quinque autem Presbyteros & duos Clericos. Gerardus ejus ſucceſſor auxit numerum Sororum ad viginti. Et huius ſucceſſor auxit numerum Presbyterorum ad ſex, ut ita numerus Presbyterorum ſervatâ proportionè augetetur pro numero miniſtrantium corporaliter. Vide Ludovicum Thomafinum De Diſcipl. Eccleſiæ parte 4. lib. 1. cap. 75. num. 3.

CAPUT IV. Quæ in Adminiſtratione & Diſpenſatione rerum Hospitalium obſervanda?

1. Adminiſtratores Hospitalium meminiffe debent, quod pauperibus impenſum, aut ſubſtractum, Chriſto conſeatur impenſum aut ſubſtractum.
2. Eligendi Adminiſtratores qui poſſint & velint fideliter adminiſtrare.
3. De jure tenentur Adminiſtratores præſtare juramentum de fidelitate in adminiſtrando.
4. Idipſum in Belgio cautum.
5. De jure tenentur ſingulis annis reddere rationes adminiſtrationis.
6. Similiter in Belgio & Gallia.
7. An his legibus ſubſiciantur qui Hospitalia tenent in titulum?
8. Adminiſtratores debent honorum ad Hospitalia ſpectantium inventarium conſicere.
9. In alienatione, & elocatione ſervanda ſolemnitates præſcriptæ in alienatione & elocatione honorum Eccleſiæ.
10. Bona piorum locorum impendi debent in uſu à Fundatoribus præſcriptis.
11. Relicta in uſum infirmorum, an ſanis impendi queant?
12. Abſque declaratum, quod numerus ſanorum in hoſpitalibus excedat numerum infirmorum.
13. Numerus Fratrum & Sororum infirmis miniſtrantium plerumque à Fundatoribus præſcriptus; & quare?
14. In unione Hospitalis Monasterio cautum ne nimis multa Moniales aſſumerentur in detrimentum pauperum.
15. Certa portio pro victu Adminiſtrantium Regiis Edictis in Gallia taxata.
16. Parliamentorum arreſta hiſce conformia.
17. Licet hoc in Belgio non ſint decreta, tamen Adminiſtrantes ultra uſus neceſſarios accipere nequeunt.
18. Relicta in uſu pauperum an ad Eccleſiæ reſtaurationem vel ornatum impendi poſſint?
19. Si reſicta in certum pium uſum in illum impendi nequeant, proximiori impendenda ſunt.
20. Qualiter hic accipiendus uſus proximior?
21. Commutatio fundationum piarum qua auctoritate faciendâ?
22. De commutatione notabili facta per Decretum Regiſ Gallia.

Adminiſtratores & Directores hospitalium aliorumque piorum locorum illud imprimis ſæpè meminiffe debent, quemadmodum monet S. Carolus in ſuo Concilio Mediolanenſi IV. parte 3. tit. Qua ad pia loca pertinent, „ ſe pauperum, pupillorum, viduarum, ſenem egeſtate aut ægritudine laborantium, peregrinorum & aliorum id generis hominum, alia ope agentium, prout propria uniuſcujuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere, & illam quidem tanti eſſe, ut, cum poſſimum Epiſcopo, tamquam communi omnium, & eorum præcipuè miſerabilium hominum parenti, ea Sacroſanctis Canonum legibus commiſſa ſit; tum quidquid in illos, vel miſericordiæ vel beneficii, vel operæ, vel opis, vel officii conferretur, quidquid ve rufus damni, detrimenti, injuriæ inferretur, id omne Chriſtus Dominus ſæpè in Evangelio demonſtret, in ſe collatum, aut illatum eſſe, ac propterea ſe in die iudicii, prout benè illi factum, aut neglectum, omiſſum ve in eorum neceſſitatibus ſublevandis erit, retributurum.

Hinc

Hinc concludit: „ Non ſuis, ſed eorum quorum curam ſuſceperunt commodis atque utilitatibus ſerviant.

II. Itaque omni exactitudine & fidelitate bona ad loca pia ſpectantia, in utilitatem ipſorum locorum & pauperum ibidem alendorum & curandorum Rectores eorum adminiſtrare debent. Clementina 2. De Religioſis domibus, ubi jubentur conſtitui tales adminiſtratores, „ qui ſciant, velint, & valeant loca ipſa, bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum proventus & redditus in perſonarum uſum miſerabilium fideliter diſpenſare, & quos in uſus alios bona prædicta convertere præſumptio verſimilis non exiſtat: in quibus ſub obteſtatione divini iudicii illorum, ad quos dictorum locorum commiſſio pertinet, conſcientias oneramus.

III. Ut autem in hac adminiſtratione majori fide verſentur, præſcribit Concilium Viennèſe in citata Clementina, quod adminiſtratores piorum locorum præſtare debeant juramentum, nimirum de fidelitate adminiſtratione, Non exprimitur quidem formula juramenti, ſed cum dicatur, adinſtar tutorum & curatorum, facile intelligitur, quod ſaltem in ſubſtantia, horum adminiſtratores juramentum coincidere debeat cum juramento à tutoribus & curatoribus de jure præſtando: nimirum, omnia ſervecle & cum utilitate pupilli agere, & neque prætermittere ea, quæ utilia pupillo eſſe putaverint, neque admittere quæ inutilia exiſtaverint. Vide Legem 7. §. 5. Cod. De Curatore furioſi, cum authentica eidem adjuncta.

IV. Cum hac formula coincidit illa quæ paſſim à Synodis noſtris præſcribitur, & hodie exigi ſolet, quod ſcilicet bona pauperum conſervabunt, & pro eorum neceſſitatibus fideliter diſpenſabunt: quodque pro bonorum huiusmodi conſervatione & fidelitate diſpenſatione, non minorem, ſed (ſi fieri poſſit) majorem curam & operam impendent, quàm „ pro rebus propriis. Recepti poſſunt, quæ de hoc juramento dicta ſunt parte 1. tit. 5. cap. 1.

V. Injungit præterea Concilium Viennèſe, ut hi adminiſtratores „ Ordinarii ſeu aliis quibus ſubſunt, loca huiusmodi vel deputandi ab eis, annis ſingulis de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem.

Idipſum jam pridem decretum erat à Juſtiniano in Novella 12. §. 3. cap. 23. ubi huiusmodi locorum gubernatores jubentur pro creditis ſibi gubernationibus apud proprium Epiſcopum cui ſubſacent, conventi, & rationem ſuæ gubernationis facere.

Hinc conſicitur, quod adminiſtratores hospitalium & aliorum piorum locorum de jure cogi poſſunt, ut ſingulis annis rationes ſuæ adminiſtrationis reddant.

VI. Similiter hic in Belgio per Decreta Synodalia & Principum Edicta ſæpius cautum fuit, ac recentè in Edicto de 30. Septemb. 1651. in Flandria declaratum fuit, quod adminiſtratores bonorum pauperum debeant ſingulis annis rationem ſuæ adminiſtrationis reddere. Extat Edictum parte 3. Edictorum Flandria pag. 32.

Idem in Gallia præcipiunt Edicta Regia, quæ referuntur in opere cui titulus, Grande Conference des Ordonnances lib. 1. tit. 2. parte 3. §. 12. ſcilicet designati per perſonas Eccleſiaſticas, & patronos laicos coram ſuis iudicibus, vocatis ut minus quatuor è notabilioribus incolis loci aut Parochiæ. Qui autem adminiſtratores conſtituti fuerint per communitatem civitatis aut pagi coram iudicibus Regiis in præſentia Epiſcopi vel Archiepiſcopi aut ejus Vicarii, vocatis iis qui tunc regimini civitatis aut pagi præſunt. Tenor Edicti eſt: „ Ordonnons que lesdits Adminiſtrateurs rendront compte d'an en an, & à la fin de chacune année, à ſçavoir ceux qui ont été commis par les gens d'Eglise, & patron laïcs, pardevant

leurs Juges, appelez les plus apparens habitans du lieu ou paroisse jusque au nombre de quatre au moins: & les autres qui auront été commis par les Communautés des villes & bourgades, pardevant nos Juges, en la preſence de l'Evêque, ou Archeveſque, ou ſon Vicaire, appelez les Eſchevins, Conſeillers, Capitouls, Conſuls, ou autres, qui lors auront adminiſtration des villes ou bourgades. Id eſt. Mandamus ut dicti Adminiſtratores, annuatim & in fine cuiusque anni reddant rationem, videlicet qui ab Eccleſiaſticis & Patronis laicis fuerint conſtituti, coram iudicibus ſuis, convocatis primariis loci aut Parochiæ incolis ut minus quatuor: qui verò à Communitatibus Civitatum aut vicorum conſtituti fuerint, coram iudicibus noſtris præſente Epiſcopo, Archiepiſcopo aut Vicario, convocatis Scabinis, Conſiliariis, Conſulibus, aliive præſecturam Civitatum aut Vicarium tum temporis adminiſtrantibus.

VII. Notat ibidem Nicolaus Frerot nota 17. quod quæ tum hic, tum de jure cauta ſunt de annua redditione computus, ſpectent designatos ſimplices adminiſtratores laicos, non autem Titulares, ſive qui titulo Beneficii habent adminiſtrationem; hoſque dumtaxat ſingulis trienniis rationem adminiſtrationis reddere debere ſæpius judicatum fuiſſe aſſerit. Vide etiam Joannem Torneum in ſua collectione arreſtorum Lit. H. cap. 34.

VIII. Ut autem rationes exactius reddi poſſint; & à Superintendentibus intelligi queat, num adminiſtratio fuerit juſta & fidelis; nihilque de bonis hospitalis culpa aut negligentia Adminiſtratorum deperditum ſit, vult Concilium Viennèſe in citata Clementina 2. ut adminiſtratores priuſquam adminiſtrationi ſe immiſceant, de locorum ipſorum bonis inventaria conſiciant: quod & jam pridem conſtitutum erat à Juſtiniano in L. 32. Cod. De Epiſcopis & Clericis; item in Novella 13. cap. 15. Quod inventarium non tantum mobilia, ſed & omnia monumenta ſpectantia redditus & bona piorum locorum continere debet, uti citata nota 17. monet Nicolaus Frerot.

IX. Ad hæc, ut ſecurius bona hospitalium & piorum locorum conſerventur, volunt Canonos & Leges, quibus & Principum noſtrorum Edicta conſonant, ut non ſine neceſſitate aut utilitate ſervatis ſolemnitatibus in alienatione rerum Eccleſiæ requiſitis, bona illa alienentur; ipſæque elocationes ſiant ea forma, qua elocationes rerum Eccleſiaſticarum; de quibus titulo præcedenti actum eſt.

X. Ut fidelis ſit proventus locorum piorum diſpenſatio, non ſufficit, quod hi in quocumque pio uſu videantur impendi; ſed impendendi ſunt ad determinatum uſum pium ad quem ipſe fundator deſtinavit. Unde Concilium Viennèſe expreſſè declarat, ea qua ad CERTUM uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad ILLUM debent, & non alium, converti; idipſum vult Synodus Tridentina ſeſſ. 25. cap. 8. De Reſorm. eandem conſtitutionem Concilii Viennèſis innovans.

XI. Si itaque in uſum pauperum infirmorum fundatum ſit Noſocomium, in eum uſum impendendi ſunt proventus, contingeretque eos infideliter impendi, ſi non pauperum infirmorum; ſed ſanorum uſu impendantur: niſi in quantum ipſi ſani in noſocomio infirmis ſunt neceſſarii.

Unde Synodus Arelatenſis anno 1260. Can. 13. deplorans quod bona hospitalium per Rectores eorum in proprios uſus converterentur, ita ut nihil pauperibus miniſtraretur, voluit ut de cætero regimen committatur aliquibus ibidem Domino famulantibus & vitam communem agentibus, nihil ſibi aut ſuis præter victum & veſtium, de omnibus elemoſynis huiusmodi hospitalium retinentibus.

XII. Conqueritur inſuper Synodus Pariſienſis anno 1212. parte 3. Can. 9. quod „ cum pauci ſani poſſint mul-

„ tis